



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

22. Pia Mater, &c. De beato Joanne à Cruce ordinis Fratrum beatæ Mariæ  
Viginis à monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, sanctorum  
confessorum canoni per eundem adscripto die XXVII. Decembris ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1726.

XXII.

De beato Johanne à Cruce ordinis Fratrum beatae Mariae Virginis à monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, sanctorum confessorum canonici per eundem adscripto die XXVII. Decembris Anni MDCCXXVI.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

I.  
Ecclesia fo-  
lemnes hono-  
res illis de-  
cernit, qui  
eam gestis su-  
is illustrave-  
runt.

II.  
Beati Jo-  
hannis à Cruce  
ortus, pietas  
& vitae insti-  
tutio.

III.  
Fit comes  
beatae Tere-  
sae in primæva  
disciplina  
promovenda  
inter Carme-  
litas.

**P**ia Mater Ecclesia præcipuis universalis honorificentiae præconiis illos ornari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis & moribus eam illustrantes, divini nominis gloriam & Deo famulantium numerum dictis & factis augere, perque viam salutis ducere summa cura studuerunt. Hujusmodi virum, Christianis virtutibus, celesti doctrina, jugi poenitentia, multisque signis probatum Ecclesiae catholicae dedit ea pars Hispaniae Tarraconensis, cui Castellæ veteris nomen est, nosque illum hac die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, sanctorum confessorum non pontificum canonici, solemnem sanctæ Romanæ Ecclesiae cæremonia, adnumerare decrevimus.

Is est beatus Johannes à Cruce, ordinis Fratrum beatae Mariae Virginis à monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, primus professor & parens, qui Anno Christi Domini MDXLII. ex perhonestâ Jepsæ familia ortus est in oppido, quod dicitur Fons Tiberii in Episcopatu Abulensi. A primis annis egregiæ animi dotes in eo, pie Christianæque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus & carus esset Deiparæ Virgini, in cujus patrocinium confugerat, inde paruit, quod aquam è puteo hausurus, in illum prolapsus, patronæ manu sublatus, incolumis prodidit. Adolefcens, eximia pietatis ductu Metymnæ campi hospitalium domum ingressus, agrorum & pauperum famulatu se addidit, maxima caritate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritalia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvenandis obire detrectans; unde factum, ut ceteri in nosocomio Christiana Johannis acta demorati, ægrotorum corporibus animisque curandis certatim ejus exemplo alacrem & sollicitam operam darent. Quidquid inter tam pio ministerio supererat, præclarus juvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis, & Dominicæ passioni religiosissimo animo recolendæ, impendebat: quæ tandem ipsi ad Fratrum ordinis beatae Mariae Virginis à monte Carmelo institutum ineundum, jucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est, ut vota emissa purioris disciplinae studio accuratè observaret, ad primitivi ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore & tremore, ac jussu majorum, ob summam rei divinæ præstantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

Quum verò Dei virgo Teresa, quæ postea, excelsis ejus virtutibus, signisque flagrantibus, per felicis memoriae antecessorem nostrum Gregorium Papam XV. in sanctorum virginum canonem relata est, inter sorores jam dicti ordinis beatae Mariae Virginis à monte Carmelo primævi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro Fratribus ejusdem familiae animo volutaret, Dei ancillæ magni operis comes Johannes à Cruce, strictioris disciplinae promovendæ ardore vehementer accensus, plane cælitus datus est. Quare tantæ rei negotio inter sacram virginem & Dei famulum agitato, ordo Fratrum Carmelitarum communi omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus, & per univerfam

Europam non sine ingenti Dei gloria diffusus est, plurimis Tereas virginis cura, per totam Hispaniam erectis atque optime institutis cænobis, quæ ipse, nullis vitæ incommodis & periculis territus, singula perlustravit.

Ubi verò admiranda innocentiâ, assidua rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitæ rigore, summisque virtutibus inclutus, suorum corda in perfectio Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo & in cruce quinque plagis, sanie manantibus, patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiae sacramentis summa fide & religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum*, piissime pronuntiato, die & hora à se prædictis, in Ubede cænobio, XIX. Kal. Januariæ Anno salutis MDXCI. ætatis XLIX. vitæ cænobiticæ XXIX. purissimam efflavit animam vir, Deo percarus, dæmoni formidatus, animi lenitate, constantia in adversis, miraculorum, ac prophetiæ donò per totam Hispaniam illustris, inque mysticæ theologiæ arcanis scripto explicandis, æque ac Tereas, divinitus instructus, quam, decreto S. R. E. nondum beatis adnumeratam, ipse sodali suo, inter sanctas Dei virgines, eo superstitite, referendam prænunciavit.

Ad servi Dei exuvias, quasi odore perfusas, & postea corruptionis expertes, eundem veluti placido somno sopitum referentes, populi eas osculantis multitudo copiosa turmatim confluit, vestium, & ipsius etiam corpusculi particulas, venerationis instinctu, auferre conata. Tanti viri, quem Teresa, ut sanctum suspexerat, sanctique elogio compluribus ornaverat, virtutum & prodigiorum fama in dies percrebescente, gesta ejus maturo judicio venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, sedente piæ recordationis decessore nostro Alexandro Papa VII. ad canonicos ritus discussa & probata fuerunt, unde per similes memoriae Clementis Papæ X. Apostolicas literas, inter beatos relatus est.

Novis deinde miraculis post solemnem beatificationem, ob ejus merita à Deo patris, jussu Dei servi Innocentii Papæ XI. undique conquisitis, & coram nobis ipsis per venerabiles fratres nostros in examen adductis, ac veteri disciplinae & majorum constitutionibus respondere per omnia compertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorundem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium conventu, rite perpenis, unanimi eorundem sententia, per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, atque ipsius ordinis Fratrum Excalceatorum beatae Mariae Virginis à monte Carmelo, enixis precibus pro beato Johanne à Cruce in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi prorectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indicatam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissimè imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiae disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia, in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum, Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei in sanctorum confessorum

ANNO  
1726.

IV.  
Beatus Jo-  
hannes multa  
pro Deo pas-  
sus, die &  
hora à se præ-  
dictis obit.

V.  
Ut sanctus  
agnoscitur &  
beatis adnu-  
meratur.

VI.  
Solemni ri-  
tu inter sanc-  
tos refertur.

ANNO  
1726.

non pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. Episcopum & Cardinalem Tullentium, Corfinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime invocaram, ad honorem sanctæ & individua Trinitatis, fidei Catholice exaltationem, & christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio, & unanimi consensu, beatum Johannem à Cruce Hispanum ex ordine Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beatis perinde confessoribus non pontificibus, Peregrino à Foro-Livii ordinis fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, & Francisco Solano ordinis Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canonem adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eundemque per universos Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incrementum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis XIX. Kal. Januariæ, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus natalis, ut sancti confessoris non pontificis, festa solemniter, celebrari possint.

VII.  
Pontifex sacras ejus exuvias visitantibus peculiarias indulgentias concessit.

VIII.  
Sacrosanctum missæ sacrificium in ejus honorem celebrat.

IX.  
Deus glorificandus in sanctitate beati Johannis à Cruce.

X.  
Hæ literæ Apostolicæ ubique fides obtineant.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus verè poenitentibus & confessis, qui ejusdem diei natalis festo in memoriam beati Johannis à Cruce quotannis ad sacras ejus exuvias venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Johannis à Cruce, Peregrini à Foro-Livii, & Francisci Solani, oratione solemniter, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem confessoris non pontificis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio cœlitus nobis concessio omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Johannis à Cruce, indignationem suam à nostris peccatis avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui supergentes, quæ non cognoverunt cum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

Ceterum quia difficile foret, præsentibus nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent

exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicefimo sexto, VI. Kalendas Januariæ, Pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus catholice  
Ecclesiæ Episcopus.



- † Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.  
 † Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vicecancellarius.  
 † Ego Laurentius Episcopus Tufulanus Cardinalis Corfinus.  
 † Ego Joseph Ratus Tit. sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.  
 † Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.  
 † Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.  
 † Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.  
 † Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.  
 † Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.  
 † Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.  
 † Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.  
 † Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.

ANNO  
1726.  
XI.  
Nemo eas infringere audeat.6. Kal. Jan.  
nuar. 1726.

ANNO  
1726.† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei  
Presbyter Cardinalis Spinula.† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter  
Cardinalis Spinula.† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyri-  
corum Presbyter Cardinalis Bentivolus de  
Aragonia.† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter  
Cardinalis Belluga & Moncada.† Ego Joseph Tit. sanctæ Sufannæ Presbyter  
Cardinalis Pereyra de la Cerda.† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula  
Presbyter Cardinalis Cienfuegos.† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad  
Thermas Presbyter Cardinalis de Comi-  
tibus, major Pœnitentiarius.† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Marthæi in  
Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter  
Cardinalis Petra.† Ego Prosper Tit. sancti Chrylogoni Presbyter  
Cardinalis Marefufcus.† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica  
Presbyter Cardinalis Coscia.† Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis  
& Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.† Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii  
in Pane & Perna Presbyter Cardinalis  
Cozza.† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Dia-  
conus Cardinalis Pamphilius.† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes  
Diaconus Cardinalis de Alteriis.† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium  
Diaconus Cardinalis Columna.† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardina-  
lis Alberonus.† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin  
Diaconus Cardinalis Albanus.† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Dia-  
conus Cardinalis Falconerius.† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Dia-  
conus Cardinalis Judice.

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

De beato Francisco Solano ordinis Fratrum  
Minorum, qui à regulari Observantia appel-  
lantur, sanctorum confessorum canoni per  
eundem adscripto die 27. Decembris anni  
1726.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei  
memoriam.*

**A**D fidelium Dei servorum gloriam in  
terris manifestandam, unde cultus divi-  
nus maximè augeri, & frigescentia corda homi-  
num ad verè pietatis opera, præclaris eorum  
exemplis inflammari, atque erigi possint, libenti  
& pervigili animo intendimus; quoniam  
Christum Dominum in sanctis ejus laudare jubemur.  
Hinc beatum Dei servum Franciscum Solanum  
ex ordine Fratrum Minorum, qui à regulari  
Observantia nuncupantur, Christianarum  
virtutum præstantia, & miraculorum numero  
illustrem nacti, magnum populis, nostræ solli-  
citudini creditis, præsidium nos allaturos pu-  
tavimus, si eum solemnè S. R. E. cæremonia  
hac die, in honorem beati Johannis Apostoli &  
Evangelistæ Deo sacra, sanctorum confessorum  
non pontificum canoni adscriberemus.

Montiliæ, Hispaniæ Bætica oppido sub Ecce-  
lesia Cordubensi, quam complures Christi marty-  
res nobilitarunt, Franciscus Solanus, voluntate  
martyr futurus, lucem vitalem adspexit vi. idus  
Martias anno reparatæ salutis MDCXLIX. ingenuis,  
piisque parentibus ortus, qui filium timorem  
Dei, virtutesque, Christiano homine dignas,  
solicite docendum curarunt, quibus ipse animo  
accensus, in Fratrum Minorum, qui à regulari  
Observantia nuncupantur, sacram familiam a-  
dolescens cooptatus est. In ea miris & multis  
severioris disciplinæ, Christianæque humilitatis  
argumentis eluxit, diu noctuque divinæ pietatis,  
assiduæque penitentiae exercitiis intentus,  
beatos etiam illos patres, Benedictum & Fran-  
ciscum imitatus, qui se nudos inter pungentissi-  
mas spinas projecerunt, ut omnem vim sensuum  
domarent. His, aliisque præclaris animi dotibus  
ex ejus admirando tenore vitæ identidem pro-  
deuntibus, sacris ipse concionibus, quas arden-  
tissima caritas, ceteraque eximie virtutes, in  
eo fulgentes, ornabant, animas lucrificans,  
sancti elogium passim consecutus est, præsertim  
ubi ægri pueri corpusculum, totum ulceribus  
tectum, amotis linteis, lambens, sanitati restituit.

Sed huc crudeli grassante in Hispania Bætica,  
maximam suam caritatem Dei famulus morbo  
pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano  
& spirituali solatio destitutis in tanta calamitate  
opem laturus, pereuntium animabus, corporibus-  
que curandis, nulla mortis formidine territus,  
summam operam dedit; immo & ipse mortali  
contagione infectus, & manu Dei sospes reddi-  
tus, in pristino ministerio usque ad lethalis mor-  
bi finem se alacrius exercere perrexit.

Per ora omnium Solani sanctitatis fama per-  
crebescente, vir modestissimus, qui Dei, non  
suam, gloriam quærebat, se ei clam subducere  
cogitavit. Quare martyrii pro Christo subeundi  
percupidus, hanc sibi gratiam à majoribus dari  
humillime flagitavit, ut in Africam, verbum Dei  
prædicaturus, trajiceret. Compos tamen voti  
nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad  
remotissimos Indos evangelica doctrina imbuen-  
dos cum aliis verbi Dei præconibus navigaret.  
Animarum salutem multis, iisque gravissimis  
maris terræque periculis vir Dei præferens, non

ANNO  
1726.

XXIII.

I.  
Dei gloria in  
sanctis ejus  
manifestata.II.  
Beati Fran-  
cis Solani  
ortus, pia  
educatio, vi-  
taque reli-  
giosæ insti-  
tuto.III.  
Ejus pietas  
erga pestifero  
morbo tabe-  
scentes.IV.  
Magna ejus-  
dem mode-  
stia & caritas  
erga proxi-  
morum salu-  
tem.